



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Locatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

d. c. fraternitati. & Bart. in l. Lucius ff. de fideiussoribus.

## LITIGIVM.

**LITIGIVM** quo quis se omnibus opponit verbo, vel motu, quibus molestus facit, intendens proximum confundere, vel contemptibilem, aut despectum reddere, mortale est, contra charitatem proximi, aliàs veniale, contra virtutem affabilitatis. ex Caietan. in summa ibi. Proprie autem in verbis litigium consistit.

**LITIGARE** in iudicio, secundum Th. i. Cor. 6. quatuor modis peccatum est. Primo, ex irrationabili causa, puta ex avaritia vel odio. Secundo, ex modo litigandi, ut non loquendo cum adversario, & ut inimicus se habendo. Tertio, fraudulenter, & perverte procedendo cum cautelis, & alijs, ut fieri solet inter malignos. Quarto, quando ex hoc sequitur scandalum, ut si dives pauperem impotentem nimis atteret, cui donare deberet, vel fortunam pinguiorem expectare. Communiter enim hæc sunt mortalia, contra charitatem proximi. Si autem de re modica sit sine iniurijs, & scandalo, mortale non erit.

**LITIGANS**, & sciens causam esse iniustam, quam defendit, in principio, vel in processu, & non desistens, tenetur adversæ parti de damno. argum. in cap. dominus. de secund. nupt. De ordine litis iudicialis, vide Sil. versiculo, lis. Quomodo autem peccatur per advocatos in litibus, dictum est supra, verbo, Advocare, circa medium.

**LIVELLVM**, quod idem est quod emphyteosis: supra, Emphyteosis, per totum.

## LOCATIO.

**LOCATIO** importat concessionem factam personæ, vel rei ad usum, cõventa mercede in pecunia numerata: & si aliud daretur, nõ esset locatio, sed contractus innominatus. Conductio verò est personæ, vel rei ad usum exceptio interveni pecuniariz mercedis: ita quod conductor est, qui solvit pensionem: locator au-

tem, qui dat ad usum modo dicto. §. si quis. ff. deposit. l. 1. Si verò conductio sit respectu operis, est econverso. Nam qui ponit operas est locator, & qui solvit est conductor. ff. cod. tituli. Item quaritur. §. 1. Et si est conductor rei urbanæ, dicitur inquilinus, rusticæ verò colonus.

**OMNIA** quæ vendi possunt, possunt etiam locari, exceptis servitutibus prædialibus, ut iter, actus, via & c. quæ locari non possunt. gloss. & text. in l. locare. ff. loca.

**SERVITUTES** personales, quæ sunt usus fructus, bene possunt locari. l. arboribus. ff. de usufruct. sed non servitus usus. Instit. de usu. & habit. §. minus.

**RES** venialis locari nõ potest æstimata periculo conducentis, quod ad perditionem, & deteriorationem, sed videtur fieri in fraudem usurarum, quia res æstimata intercedit loco pecuniæ. l. si verò. ff. solu. matrimo. nec est vera locatio, quia locator rem suo periculo tradit. Locati possunt fructus decimarum ad annum censum laicis, secundum Panor. in c. etiam de loca. & condu.

**PRAELATVS** potest locare fructus rei ecclesiasticæ ad parvum tempus, quod est infra decennium, secundum gloss. in clemen. 1. de reb. eccl. non alie. & si obijciatur, quod Paulina determinat tempus triennij. Respondent quidam, quod illa non est in usu, vel quod fuit revocata per Sixtum: secundum aliquos: vel quia dicitur ibi, præterquam in casibus à iure permisis, & sic quod est secundum ius, erit secundum Paulinam, & quia secundum ius est spatium novenis, quod dicitur parvum, secundum Doct. ideo videtur, quod possit fieri locatio per novennium, nõ obstante d. Paulina. Si quis tamen bene consideret verba Paulinæ, clarè videbit, quod huiusmodi locatio fieri non potest. Si illa sit acceptata, quod mihi est dubium, an univèrsaliter. Vide supra, Excommunicatio 62.

**NON** licet locare operas suas clerico pro divinis officijs dicendis, aliàs esse

esset simonia. capitul. cūm in ecclesijs de simon. pro temporalibus bene licet: potest tamen pacisci cum aliquo: vt moretur in aliqua ecclesia ad celebrandum ibi diuina. Ita tamen, quod intentio nō dirigatur ad diuina, sed ad mansionem, quam ibi facit, vel ad laborem, quem ibi sustinet, vel ad damnum, quod ob moram patitur: vt in capitul. ad quæstiones. de rerum permutatio. Innocent. in pe. c. ne prælat. vic. su.

7 **CONDUCTOR** potest alteri rem conductam locare: secundum Panor. in capitul. inter dilectos. de fid. instru. & l. nemo. C. loca. nisi aliud esset conuentum. in dict. l. nemo. vel propter hoc alteri fiat præiudicium: vt si personæ inhonestæ, vel insolenti locaretur, vel intuitu socijs: secundum communioem opinionem.

8 **DOMVS** propinqua alicui magistro lectori, non potest locari alteri, ita vt voces adiuicem confundantur: vt ferrario, vel alteri lectori, & si sic fieret, prior alium posset expellere. l. vnica. C. de stu. li. vr. Ro. & c. pridem. 25. q. 2. & secundum Bart. in l. 1. ff. sol. matt. In arbitrio iudicis est iudicare. quis talium sit expellendus, consideratis circumstantijs. & his, quæ ad æquitatem pertinent.

9 **LOCARI** potest res omnibus, qui possunt emere, excepto milite, & curiali, quibus prædia ad colendum locari non possunt. C. locati. l. milites. & l. curiales clericis, & monacho, nisi necessitatis causa, ne clerici, vel monachi. c. 1. & c. secund. Vbi hæc notant Ber. & Host.

10 **LOCATIO** potest fieri ad tempus & in perpetuum. l. 1. ff. si ager veſti. & si moritur conductor infra tempus locationis, hæres eius succedit in iure conductionis: secus in usufructu, qui extinguitur cum persona. l. si quis domum. §. usufructuarius. ff. loc.

11 **MERCES** locatori soluenda est secundum Panor. in c. propter sterilitatem. eod. tit. secundum quod conuentum est; aliter secundum consuetudinem regionis, quod si non apparet de ea,

soluatur in fine anni. facit c. in obsecris. de regu. iur. lib. 6. Et Panor. in c. peruenit. de arbitr. not. differetiam inter soluere annuatim, & omni anno: quia qui tenetur soluere annuatim, in principio anni tenetur: qui verò omni anno, in fine anni debet.

12 **LOCATOR** potest inquilinū ante finem locationis quatuor ex casibus expellere. Primo, si nō soluit per biennium, est tamen audiendus si paratus est soluere. l. quarto. ff. locat. si tamen alius casus de sequentibus non est. Secundo, si domus locata est necessaria locatori pro sua habitatione, ex superueniente casu, cui aliter providere nequit. in l. ædem. C. loca. fiet tunc remissio pensionis. Tertio, si domus reparatione indiget: quia ruinam minatur, quod non faciebat tempore locationis: & etiam in isto casu fiet recompensatio, sicut in precedenti ad ratam temporis. in d. c. propter sterilitatem. & d. l. ædem. vel locator prouidebit de alia domo æquè idonea. l. cum plures. ff. eod. tit. & ea refecta, inquilinus potest petere reponi in ea. per glof. & text. l. si duo. ff. vii. pol. cum inquilinus. Quarto, si conductor per se conuertatur in ea, etiam sine laesione rei: vt quia ibi tenet meretrices, & similia: & tunc non fit remissio pensionis: secundum Hosti. vel lædit domum: tenendo porcos, vel incidit arbores, non colit tempore debito, & huiusmodi: & tunc remittet dominus pensionem, & ager de damno, & interesse: secundum Hosti. in d. c. propter sterilitatem, & sic concordat. d. l. ædem. & dict. c. propter sterilitatem, quæ videntur contraria. Alexander Imo. cons. 126. addit quintum, quando scilicet iuravit omni anno soluere, & non soluit, & cessat vno anno soluere. l. si quis maior. C. de transact. & hoc communiter: secundum Doct. in d. l. tenet in omnibus contractibus ratas.

13 **INQUILINVS** propter superuenientem probabilem necessitatem dimittere potest domū conductam, eū contra voluntatē domini: secundum Jan.

Pan. in d. c. propter sterilitatē, & sic in conscientia esset seruandum, licet forte in foro contentioso aliter fieret.

<sup>14</sup> Si conductor non potuit uti re locata propter locatoris voluntatem, locator tenetur conductori ad interesse. l. si de fundo. C. loc. Si per casum fortuitum locatoris, vel rei locata: ut quia ex culpa locatoris fundus fuit publicatus, vel domus corruit, pensio remittitur pro rata. l. si quis domum. ff. locat. Si stat per conductorem, ut re locata minus utatur, vel ob eius culpam: nihilominus totā soluet pensionem. l. colonus. §. nauem. ff. locati. Si autem casu fortuito hoc aduenit conductori, similiter tenetur, quando locator alteri locando mercedem habuisset: aliās nō. ff. ad legem Rhod. de iact. l. fin. §. 1. Facit. l. sed adde. §. cum quidam. ff. loca.

<sup>15</sup> Quidam quis locauit operas suas alteri, nec stat per ipsum quin soluat, sed per conductorem, sic talis conductor, etiam si impediatur casu fortuito, soluet mercedē: & est casus in §. cum quidam. ff. loca. l. sed adde. intellige, quando talis locator non habuit cui locando operas acquireret mercedem, quam mercedem habuisset, si tali non locasset in conscientia. Si verò stat per locatorem, casu fortuito non impeditū, locator restituet damnum conductori: & nō habebit mercedem: si casu fortuito impeditur, remittitur pensio pro rata temporis. l. si vno. ff. locat. §. itē cum quidam. nec tenetur ad interesse. Et si iam inchoato opere fecisset aliquas expensas ad se preparandum, & casu fortuito impediatur, repetet expensas propter hoc factas. l. pecuniam. ff. de condict. ob caus. in princi. Fallit in aduocato, qui si moriatur, non repetetur salarium ab eius haredibus. l. i. ff. de var. & extraordini. cognit. & idem de quocunque habente officium publicum. l. atboribus. §. de illo. ff. de usufruct. nisi consuetudo obster.

<sup>16</sup> Si sterilitas ex casu fortuito proueniat, vel vitio rei locatae, sine culpa coloni: ut quia timet ager siccitatem

vel humiditatem, vel grandinē vel huiusmodi, & non potest recompenfari cum fertilitate anni præcedentis immediate, vel sequentis, durante locatione eadem: secundum Host. in sum. eod. ti. fiet remissio pro rata. & secundum Panormit. in dict. capit. propter sterilitatem. (utputā) collegit tantum duas tertias partes de solito, soluet duas tertias de pensa. Si autem sit partiaris, diuidēs cum domino lucrum, & damnum, non fiet recompenfatio: ut not. gloss. in dict. cap. propter sterilitatem. & secundum Ioann. Andr. & Panor. in dict. capit. propter sterilitatem. In conscientia annus dicitur sterilis, quando de tribus partibus solitis colligi, non colliguntur nisi duæ, quamuis Docto. fuerint varij in hoc capit. propter sterilitatem. Si verò fructus collecti marcescant, vel per milites, aut aliter pereant, non dicitur sterilitas, nec fit compensatio. l. ex conducto. §. si vis. ff. loca. secus si ante collectionem hoc accidat.

<sup>17</sup> Si fertilitas augeatur casu fortuito: ut quia alia melendina sunt destituta, meum plus fructificat, augetur pensio pro rata, sicut fieret remissio propter sterilitatem. hoc tenet gloss. in l. si merces. ff. eod. tit. & Panormi. supra nō autem si augeatur: quia fructus plus valent, aut si per industriam coloni augeantur: sicut nec fieret remissio propter negligentiam coloni, vel si parū valerent fructus. l. ex conducto. ff. eod. tit.

<sup>18</sup> Titius conuenit cum Paulo: ut certo pretio molat pro se, & suis haredibus in perpetuum, in processu temporis multiplicentur haredes Titij quasi in infinitum. nunquid molent haredes Pauli pro eodem pretio? Dicit Vgo. quod non quia non videtur Paulum de hoc cogitasse, quando se obligauit: & hęc opinio est in conscientia æquior: licet Albetic. in auth. hoc ius. C. de sacrosanct. eccles. dicat teneri ad hoc de stricto iure. Pro prima opinione facit l. si quis in vna. ff. de peti. & commod. rei. vendi.

<sup>19</sup> COLONVS conducens fundū ad

me-

medium, nulla facta mentione de arboribus, nullum fructum de eis habebit, sed locator omnes habebit. l. fructus. ff. de usufr. & si colonus arbores destruat, tenebitur pro eis. Similiter si alius, propter odium aduersus colonum, cuius odij colonus dedit causam, hoc faciat. l. si merces. §. culpæ. ff. locat. & secundum gloss. ibi, tenebitur etiam.

<sup>20</sup> **AGRO** seminato per colonum, & post vendito per dominum, colonus partem suam habebit: secundum quod inter eos est conuentum. Si tamen venditor omnes fructus accepisset, agere poterit colonus contra venditorem. de leg. 1. l. nihil speciale.

<sup>21</sup> **S**i conductor aliquid expendit necessarium expediens, vel utile in re locata: locator restituet expensas. ff. locari & conducti. l. dominus. Si tamen potest tollere expensas sine laesione rei locatæ, tollet, si vult: quia tunc locator non tenetur. §. si inquilinus. d. l. sed addes. Non intelligas tamen de expensis pro pascendis animalibus, vel colendo agro locatis.

<sup>22</sup> **CONDUCTOR** pro re conducta si pereat, vel deterioreretur, ex dolo, vel culpa sua, etiam leui, tenetur locatori: quia gratia vtriusque contrahitur. Infit, quib. mod. re. contrahi. obli. §. ult. & hæc est communior opinio, quod non teneatur de leuissima. Idem dic de locante operas suas. Si tamen tale opus requireret diligentissimam curam: vt polire pretiosum lapidem, & huiusmodi, teneatur etiam de leuissima. §. qui columnam. l. si merces. ff. loc. supra. custos. §. 2. depositum. §. 2.

<sup>23</sup> **LOCANS** rem viciosa pro bona scienter, tenetur conductori de dano, argumen. in d. l. sed addes. & si etiam ignoranter locauit vitiosa pro bonis, tenetur de damno: non enim debebat dare pro bono, quod nesciebat hominum esse, licet crederet, quoniam exposuit proximum periculo: ideo de damno secuto tenebitur: secus si dedit simpliciter: sicut erat dicendo, Credo esse bonum, tu vide, &c. fecit enim, quod potuit, & dolus cessat.

<sup>24</sup> **S**i locator ponat res meas in vna domo, vel camera alia, sine voluntate mea, & pereant igne, vel aliter, quod non fuisset, si in primo loco remansissent, tenetur restitutioni. l. nem quæritur. ff. eodem titulo. l. nem quæritur. ff. eodem titulo. Secus quando fecit hoc sine culpa, bona fide, nec etiam tenetur, quando etiam mala fide ponens, ita perisissent ibi, sicut hic ff. ad legem Rhodiam de iactu. l. fina. Et dicenti fuisse dolum, vel culpam, incumbit probare. vbi quis tenetur de dolo, & lata culpa: sed vbi tenetur de leui, & leuissima, tunc incumbit conductori probare, quod fuit à casu. Sicut intelligit d. lex. fin.

<sup>25</sup> **CONDUCTOR** debens soluere pro aliqua re, quæ est eiusdem fori cum domino, tenetur quætere dominum: sed si non est eiusdem fori, satis est, quod sit paratus soluere in domo sua: secundum Panormit. in c. significante de pig. sic intellige. d. c. propter similitudinem.

## LV D V S.

**LV D V S** ex suo genere multis modis peccatum est. Primo, quando assumuntur turpia verba, vel facta, quæ si sunt mortalia, peccatum mortale est: aliter veniale. Secundo, quando proximo nocumentum notabile infert, est mortale peccatum. Tertio, quando gesta sanctorum in derisum, vel contemptum assumuntur, est etiam mortale, propter iniuriam: quæ fit Deo, & sanctis. Præceptum enim domini dicit: Non assumes nomen Domini tui in vanum.

<sup>2</sup> **Ex** circumstantiis ludus etiam inuenitur peccatum septemplex. Primo, quando propter ludum non curatur de præceptis diuinis, & hominum, in his, quæ pertinent ad salutem animæ de necessitate, tunc mortale est. Secundo, quando talis ludus non est condecens personæ: vt sunt senes, prelati, & graues homines. Tertio, si fiet in loco, prohibito: vt in ecclesiis, quod mortale esset, si fierent ibi ludii theatrales, vel similes, qui prohibentur. in capitu. cum decorem. de vir. & honest. cle. & Panormita. ibi. Veniale autem,